MEMORIÆ
VIRI ET THEOLOGI SVMMI

GEORGII CALIXTI,

ORATIO

CHRISTOPHORI SCHRADERI,

HABITA IN ACADEMIA IVLIA


XXIV. SEPT.



CIↃ IↃCLVI.



HELMESTADI,
IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO
Excudit
HENNINGVS MVLLERVS
ANNO CIↃ IↃC LIX.



Magnifico, Perquam Reverendo & Clarissimo

VIRO

DN. FRIDERICO VLRICO CALIXTO

S. THEOLOGIÆ D. ET PROFESSORI ORDIN. ACADEMIÆ IVLIÆ HODIE PRORECTORI,

Domino Collegæ, Compatri & Amico pl. colendo

CHRISTOPHORVS SCHRADER

S. D.



Vum Serenissimorum Celsissimorumq; Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium, Dominorum nostrorum clemen-

tissimorum Legati, anno superiori, visendæ ordinandæque Academiæ, denuo ad Nos venissent, & iis quæ boni publici causâ suscepta erant negotiis feliciter peractis, ego solennem conventum oratione in Iulèo finire juberer, censebam non amittendam esse occasionem, celebrandi memoriam venerandi Parentis Tui, Viri de Academiâ & Ecclesiâ universâ, &, si id addi fas est, de me quoque optimè meriti. Quanquam enim non multo post illius beatum obitum, vitæ ejus seriem undiquaque collectam studiosè perscripseram, & rogatus Academiæ

demiæ tradideram, tamen pietati nondum videbar fecisse satis, ni ex eodem loco unde ille & docuit præclarè & Præceptores suos hac mortalitate defunctos diserto ore me audiente toties laudavit, virtutem ac doctrinam ejusdem si minus disertè, attamen candidè & verè de prædicarem. Agnosco enim lubens, &, quoad vixero fatebor, Parentis Tui perpetuam benevolentiam & gratam consuetudinem inter præcipua vitæ meæ bona mihi adhuc fuisse. Anni sunt hoc ipso mense sex & triginta cum domum illius primum sum ingressus, frequenti ac con-

ſtanti auditione, optimâ Profeſſorem conciliandi ratione, illi magis magiſque innoteſcens, & tandem ita carus, ut non ſtudia tantum mea fideliter ordinaret, ſed & ſtudiorum ſubſidia, & tandem quoque ſtudiorum fructus omni ſuâ ope feliciter mihi compararet, Præceptoris, Patroni, Parentis erga me functus officio. Ego vero & beneficia mihi exhibita, & cumprimis ſummam illam Viri pietatem atque omnigenam ſine exemplo doctrinam, cum ſingulari junctam comitate ac morum ſuavitate, quam mecum tot boni

& o-

& omnes qui cum illo versati sunt agnovere, grata semper ac perpetuâ colam memoriâ, ad suave ejus consortium in beatâ immortalitate, cum vitæ arbiter jusserit, redire, exoptans. Tibi verò, Magnifice Domine ProRector, cui ob multifaria beati Parentis benefacta tam arctè sum obstrictus, memori mente reddam vicem, quà potero, in cujus fidem dono & dico tibi istam orationem, quam quidem æternis tenebris statueram damnare, & damnassem, ni summorum virorum auctoritate, & tuâ quoque perpetuâ

tuâ appellatione fuiſſem revocatus. Animadvertebam equidem, pagellas iſtas relegens multa cum doctrinæ tum virtutis Calixtinæ juſta elogia mihi præterita, pleraque verò etiam tenuius commemorata; at ſubiit animum ipſius beatisſimi Patris tui Vox, ſæpe, quod meminiſti, uſurpata, qua demirari ſe ajebat, quod adeo præpoſterè ſecum ageretur, & à nonnullis quidem tam effusè, ac tantum non in cœlum laudibus tolleretur, ab aliis penè ad tartara immanibus proſterneretur convicijs.

ciis. Malebat nimirum moderati Vir ingenii & laudari citra ambitum, & si qua fortè erraret; modestè ac sine scommate admoneri. Ego itaque dum aureæ illius, & à B. Parente tantopere cultæ mediocritatis memor, maximum Virum intra modum laudavi, à Te, mi Collega, facilè, ut spero, veniam impetrabo; quam si & ceteri Calixtinæ pietatis atque eruditionis conscii lectores mihi dabunt, summam voti ero consecutus. Deum precor ut Academiam Iuliam, à morborum nupero contagio, indultu cœlesti, feliciter respi-

rantem, ac sibi reddi cœptam; confirmet benignus, quò ad lares nostros jam nunc redire parantibus, illud Ecclesiæ & Reipublicæ seminarium suo cuique loco gnaviter, ut per est, colere, & Tibi in primis patrii nominis gloriam patriis virtutibus feliciter propagare divino munere concedatur. Scripsi in Cœnobio Bergensi Idib. Decembr. Anno CIƆ IƆC LVII.

Serenis-

SErenissimorum & Celsissimorum Principum ac Dominorum, Domini AVGVSTI, Domini CHRISTIANI LVDOVICI, Domini GEORGII VVILHELMI Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium, Principum & Dominorum nostrorum Clementissimorum, Illustres Legati, *Viri Nobilissimi, Magnifice, Excellentissimique, Patroni honoratissimi, Magnifice Domine Vice-Rector, Inclytorum Ordinum Ducatus VVolferbytani delecti Proceres, Clarissimi & Celeberrimi Academiæ Iuliæ Professores, Collegæ carissimi, Reverendi Domini Pastores, & Tu Nobilissima atque in spem Patriæ efflorescens Civium nostrorum Concio.*

NI pietas & obsequium, magni viri manibus pridem debitum lessum a me ex hoc loco tandem nunc requirerent, ego hoc tam illustri ac felici die dicere jussus, argumentum eligerem ab eorum instituto, qui vice non una hac ætate isthic perorarunt planè diversum. Enimverò quotquot in hoc Musarum templo nuper verba fecerunt, fecerunt autem intra hoc semestre omnium quatuor Ordinum Professores, dum multiplicia Academiæ Juliæ vulnera, & ipsorum octo Collegarum intra septem annorum spacium flebiles excessus retractarunt, in luctum & gemitus vocare Cives sibi proposuerunt. Quæ quidem ratio aliena videri poterat ab hoc tempore, quo Serenissimæ Domus Principalis auspicijs & summorum virorum ductu illustris hujus Lycei res iterum sunt firmatæ, & conservationi propagationique studiorum de novo ritè est consultum. Ceterum quæ hoc præsertum anno Academiam afflixerunt, in animum penetrarunt altius, eumque affecerunt tenerius, quam ut linguam cohibere possint. Nam, ut superiora omittam, amiserunt

haut ita pridem insignia quædam ornamenta sua, tria Collegia, Philosophicum quidem JOHANNEM HOMBORGIUM, divinarum humanarumque rerum scientissimum Doctorem, Iuridicum JOHANNEM MEHLBOMIUM, non minus Iuris utriusque, quam omnis honestatis & Christianæ pietatis consultum, Theologicum autem magnûm illum CALIXTUM, cujus fatum cum Academia gravissimè meritò lugeat, ego & meo sensu & Patroni suggestu admonitus, non alienum ab hac panegyri fore existimavi, præcellentis hujus viri memoriæ hanc solennem horam simul consecrare, ut Serenissimorum Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium, clementissimorum Dominorum nostrorum, dum sacrum hoc publico bono devotum Collegium Professorium non tantum conservant ac tuentur, sed & statis temporibus visunt ordinantque, in patriam, in remp. litterariam, in ecclesiam excelsum beneficium vel ex unius Collegæ nostri præclaris dotibus meritisque existimari possit. Quandoquidem autem vitæ illius à natali ad emortualem usque decursus jam alibi haut perfunctorie est descriptus, nunc quidem serie isthac omissa ad Viri eruditionem atque probitatem, summam utramque, animum seorsum advertemus, satis, ut equidem existimo, elogij dicturi, si duabus istis dotibus sideris instar effulsisse ostenderimus. Neque enim cuiquam nostri ordinis majora ulla queunt esse ornamenta. Vos, Auditores, qui ad celeberrimi & omnibus vobis singulariter culti viri nomen à me inexspectatò hic, ut reor, appellatum, ora vestra spectatius convertistis, date quæso hoc gratæ illius memoriæ & attentas aures ad finem usque æquis animis præbere perseverate.

Atque ut de eo quod omnis & virtutis & eruditionis

tionis fundamentum est, quodque Aristotelis, de necessariis, doctrinæ auxiliis interrogati, notissimo apophthegmate primo loco statuitur, primo loco agam, indolem singulari quadam naturæ benignitate nactus erat CALIXTUS longe felicissimam, ingenium nempe acutum, capax, fœcundum; judicium sincerum, grave, firmum, & per ea quæ audiret legeretve, solerter penetrans; Memoriam rerum custodem acrem ac fidelem. Ad studium verò discendi & assidui laboris tolerantiam adeo factus erat à natura, ut cum Theopompi instar freno reprimi indigeret, nullius tamen cohibitione ab antelucanis vigilijs, & à perpetua ac pertinaci lectione scriptioneque, ne senex quidem, posset avocari. Erat eidem altè insitus ardor perquirendæ & arctè amplectendæ veritatis, quam cum eorum quæ homini concessa sunt, omnium pulcherrimum, omnium divinissimum esse maturrimè imbibisset, ita erga eam naturali indole sua affectus erat, quomodo divinus Plato perfectionis suæ cupidum hominem, in eam ferri postulavit, instar nempe venatoris, qui omnibus vestigiis ferarum latibula indagat. Cujusmodi erga veritatem fervidum amorem cum rerum natura, alma illa parens CALIXTO insevisset, simul quoque alteram dotem sine qua ista non constat eidem tribuit, quam Græci φιλακρίβειαν appellitant, nos studium accurationis dicere possimus. Ad hanc pariter à solerti natura ille fictus, nihil sectari protritum, nullam momenti alicujus doctrinam à limine salutasse aut veluti inter strepitus exaudisse erat contentus, sed caligine, quæ ferè tegere verum solet, discussa, ad intima rerum penetralia, propitiâ Minervâ aspirabat. His præclaris ingenij dotibus, parem quoque animum rerum conditor illi ingenuerat. Erat enim pectus illi maximè generosum,

 nihil

nihil ſpirans abjectum, nihil fractum, nihil vile, leniſſimum interea, & in mitiora omnia nunquam non pronum. Atque hanc à liberali rerum creatrice inditam præclar.m mentem, ipſequoque vultus præferebat, venuſtus, liberalis, placidus, gravis, oculos volvens intentos. Talem ergo qualem diximus indolem ad diſcendum, cum attulerit, & præter eruditum parentem, optimos cum in claſſica tum in regia Schola præceptores fuerit indeptus, minus mirum eſt magnis cum paſſibus ſtatim proceſſiſſe, & in lingua utraque in poeſi Græca & Latina, in hiſtoria ſacra & externa, in orationibus ſcribendis, in artium liberalium circulo, in philoſophia, in divinarum litterarum ſtudijs, in omni eruditione, grande adeo decus ſibi comparaſſe. Etenim ſi ambo iſta amicè concurrant, ſolers ingenium diſcentis & peritia ac dexteritas doctoris, & ille quidem proficere, hic prodeſſe & poſſit & omni animo velit, tum videlicet demum operæ fit precium & longe ultra vulgarem gradum doctrina provehitur. Et vero ingenio iſto ſuo excellenti, & dexterrimis Præceptoribus, ita uſus eſt CALIXTUS ut cum in verborum, tum in rerum ſtudijs ſumma omnia fuerit conſequutus. Romanæ linguæ, communis illius per univerſum eruditum orbem Mercurij, quanta cura, quantus nitor, quam inaffectatus in omnibus ejus ſcriptis comparet ornatus! Verba propria, ſelecta, non niſi parcè ac verecundè translata; collocatio facilis, apta, nec tam leporis quam ponderis cauſa ad rationem & artem directa. A quo genuinæ Latinitatis perpetuo & conſtanti cultu avertere eum haut potuit multa quamvis lectio Scholaſticorum, quos vocamus, Doctorum, in quibus cum adultiore ætate aliquando totus eſſet, & ad tempus veluti habitaret, rerum momenta ingenium perficiebant,

ſordes

sordes dictionis linguam aut calamum inficere nullæ puterant. Nempe quæ è puræ Latinitatis autorum limpidis fontibus primis annis cupidè hauserat, altè adeo in animum erant admissa, ut ne adultis quidem turbarentur, nec cum dicere aut scribere ingrederetur, vel Plautum Robertus Holkot, vel Terentium Wilhelmus Occam, vel Ciceronem Nicolaus de Gorram florido illo Latinitatis Calixtinæ campo pellere valeret. Neque vero puri sermonis Latini cultor ipse tantum erat sed & censor, atque ab alijs in seram usque ætatem exactor. Nequaquam enim fas esse censebat tanta luce litterarum undique diffusa, ceteras doctrinarum partes elegandi & splendida oratione à cultoribus tractari, sublime illud cœlestis veritatis argumentum genere sermonis vili quin sæpe inquinato à quoquam affligi. Cum Latinis litteris Græcas à prima statim ætate conjunxit & in ultimam usque constanter coluit. Supersunt Græca carmina, quæ adolescens panxit, & scripta quæ vir & senex publicavit, quam fuerit Poëtarum, Historicorum, Patrum, etiam Græcorum lectioni innutritus liquidò demonstrant. Et quî tam diu Cl. CASELIO familiaris esse potuisset, in litteraturæ Græcorum amorem cultumque aut attulisset aut accepisset ab eo, qui ad has sapientiæ & eloquentiæ scaturigines omnes suos sectatores, etiam juris scientiæ studiosos, quin & Nobilium virorum liberos tam diligenter deducebat. Divinorum sanè voluminum interpretatio Calixtina solida adeo atque felix esse nunquam potuisset, nisi in Apostolicorum fonte, & Propheticorum primis rivis, Græcis utrisque, peritè versari didicisset. Jam in Mosis & ceterorum divinæ mentis interpretum libris authenticis, quam non sueverit fidere oculis alienis, sed suis uti valuerit, & prælectiones quas

ad au-

ad auditorium ſuum per ipſos quadraginta annos habuit, & ſcripta quæ cum erudito orbe univerſo interim communicavit, abundè loquuntur. Ipſam nimirum quam meritò vocamus, veritatem Hebraicam adire, legere, intelligere, & genuino ejus ſenſui eruendo Maſoræ, Chaldaicarum Paraphraſium, Rabbinicorum commentariorum ſubſidia advocare, ijſdemque tempeſtive uti, Præclare utique, & rectius, quam multi, qui nunquam non iſta crepant, novera CALIXTUS. Unde cum in celebri illo cum Pontificio Doctore Hemelſchenburgi inſtituto congreſſu, Vulgatam S. Scripturæ verſionem alicubi erroris argueret Noſter, & iſte in B. LUTHERI verſionem telum retorquere niteretur, adeo in nulla divinarum ſcripturarum verſione bonæ cauſæ præſidium ſibi eſſe teſtabatur CALIXTUS, ut Hebræum codicem in medium afferri, & ex illo indubitato principio omnibus verſionibus ſemotis diſputationem inſtitui confidenter poſtularet, ac in ſe ſuſciperet. Ad quod iſte, *Ego*, ajebat, *tantum Hebræum me non profiteor*, hic enim adverſarij herbam porrigentis tum erat diaſyrmus. Neque verò mirum eſt, etiam harum litterarum ſcientiam minimè vulgarem ſibi paraſſe CALIXTUM, quippe qui & ſuopte judicio ad omnia ſtudij Theologici auxilia docilem animum converterat, & CORNELII MARTINI, ſanctæ linguæ periti cultoris, quotidiano exemplo, VALENTINI autem SCHINDLERI linguarum Hebraicæ, Syræ, Chaldaicæ, Arabicæ in hac Academia tum Profeſſoris longe celeberrimi, viva voce ad has Orientis Muſas fideliter fuit manuductus. Omittam hic de linguis vulgaribus, quas præter maternam non unas ille callebat commemorare, quod tres iſtæ queis inſigniter inſtructus erat divinæ humanæque ſapientiæ

entiæ discendæ docendæque sufficiant. **Progrediar ita**que ad Poësin, quæ prima ejus fuit philosophia, in seros usque annos culta atque frequentata, nec tantum inter exercitia adolescentiæ, aut oblectamenta senectutis ipsi habita, sed cumprimis veræ virtutis & variæ doctrinæ cum voluptate primùm imbibendæ, pòst cum quadam illecebra etiam alios docendæ instrumentum. Hunc enim genuinum Poëseos finem esse norunt eruditi. Atque in hunc scopum intentus, in omni genere poëmatum adeo diligenter est versatus, ut cum occasio invitaret è Comicis, Tragicis, Epicis, Lyricis, integras pericopas promtè recitare, & quod potius est, ad illorum ductum elegans, concinnum, grave carmen, non sine cœlesti aliquo mentis instinctu, pangere valeret, ad has amœnitates non ingenio tantum promtus, sed & animo tam facilis & benignus, ut nonnunquam & amicis, si quorum fortè arentior erat vena, succurreret, & suis nomen alienum adscribi indulgeret. Delectabatur autem inprimis Epico genere, quod hujus majestas generosæ ejus menti, & sententiarum, quas illa edebat, gravitati conveniret. Quale, inter sexcenta alia, est, quod ante hos quadraginta annos, cum splendida hæc Musarum ædes inaugurararetur ad FRIDERICUM ULRICUM, excelsæ memoriæ Principem, de divo JULIO Academiæ conditore perscripsit. Lubet divini hujus carminis paucos versus qui vel soli orationi meæ fidem faciant hic recitare.

Magnanimus Princeps, cui dum mortalibus illo
Gaudere & coram vultus atque ora tueri
Fas erat, Hercynias latè gens sparsa per oras
Parebat, vastoque cacumine Bructerus ingens

Nunc potius regnum, cœlique beata recepit
Aula ---- ---- ---- ----

Et quæ longo ordine, pari ſpiritu ibi porro attexuntur. Quibus iſtuſtribus verbis & jucundis numeris & illi reſpondent, quos in Bibliothecam Juliam novennio poſt eâdem felicitate fudit. In Theſaurum inquam, quem extimum iſtud Julei tabularium recondit,

---- ---- ---- *Armamentaria ſacra*
Pallados, & caſtis habitata palatia Muſis.
Quicquid ab ingenio poſt triſtia fata rogumque
Et cineres ſummis non eſt ſupereſſe negatum
Mortali de ſtirpe viris, hoc limine claudi
Conjectuq; oculorum uno te cernere noris.
Hic vitam vivunt, & poſt ſua fata loquuntur
Seclorumq; minas ſuperant & edacia rerum
Tempora qui terris caput altius exſeruerunt
Naturæq; ſuper fines, ſuper æthera celſum
Evexere animum ---- ---- ----.

E qua particula vobis, *Auditores*, de integri carminis venuſtate judicare eſt in proclivi. Mihi ſane dignum videretur, ut quemadmodum Oppiani Poëtæ verſus ſinguli aureo ſtatere à M. Antonio Imperatore ſunt donati, ita hujus Calixtini poëmatis ſinguli ſaltem argenteis totidem ab Academiæ Bibliotheca remunerarentur. A Poëſi ad Hiſtoriam progrediamur, quæ cum ſcriptoribus omnibus, & cuivis parti melioris doctrinæ magnum lumen fœneretur, ab hoc eruditionis univerſæ primum candidato, poſtmodum conſulto enixiore opera fuit perveſtigata, & adeo quidem accuratè, ut in naturali ad ipſam propemodum Medicorum peritiam accederet, in civili Politicos & exquiſitiſſimos Juriſconſultos æquaret,

ret,

ret, in ſacra & eccleſiaſtica, omnes noſtri ævi Theologos longo poſt ſe intervallo relinqueret. Sed & mythicæ illius, quæ geſtorum quædam veſtigia multorum figmentorum veluti frondibus occultat, quam minimè ignarus fuerit paſſim inſertæ carminibus corollæ ſatis ſuperque indicant. Quæ autem hac potior eſt vera rerum memoria, ſive illa præcipuarum gentium, à primo hujus univerſi ortu ad noſtram uſque ætatem continuam ſeriem, ſive ſeorſum Judæorum, Romanorum, Græcorum, Germanorum reſpublicas, leges, ritus, clarorum item virorum facta ac dicta memorabilia, complecteretur, adeo illa omnibus veſtigiis per Auctorum monumenta impigro labore illi erant indagata, animadverſa, digeſta, ut cum ordo ſtudiorum id exigeret, de omnibus illis cum commentari tum differere valeret. Nec proletariè, ſed ſolidè prorſus atque eruditè, quippe qui genuinos ſcriptores ipſos impigrè evolverat, & in his non ad eventuum tantum varias viciſſitudines, ſed ad cauſas ipſas, ad prætextus, ad agendi modos, ſolertem animum attenderat. In quibus omnibus ne velut in illuni nocte paſſim offenderet non tantùm locorum per univerſum terrarum globum, & temporum ab omni ævo ſibi paraverat ſcientiam, vaſtam, excellentem, perfectam, ſed & familiarum ac perſonarum illuſtrium, ortus, propagines, incrementa occaſus & obſervaverat ſtudioſè & ubi opus, ſive calamo, ſive diſerto ore promere poterat, non priſcam tantum, ſed & mediam, & recentem ætatem, vaſto ſuo ingenio complexus. Quæ quidem veriſſimè de illo prædicari è monumentis ejus ingenui lectores, è quadraginta amplius annorum perpetuis ſcholis, attenti auditores, è fortuitis ſermonibus familiares nec

 igno-

ignorant, & quotquot candidi sunt fatebuntur. Ego sanè etiamnum cum veneratione præstabilis doctrinæ ejus recordor insignum dissertationium quas ante hos xxx annos, cum divinorum Prophetarum, Esaiæ, Jeremiæ, & Ezechielis libros vivâ voce interpretaretur, de Babiloniorum, Assyriorum, Ægyptiorum, Arabum, Phœnicum, Tyriorum, Æthiopum, aliarumque cœlesti vatum ore memoratarum & partim flagellatarum gentium rebus è priscis scriptoribus variè habuit, cùm ut lucem oraculis istis undecunque accenderet, tùm ut antiquitatis memoriam non è stagnantibus lacunis, sed ex amœnis fontibus esse hauriendam, & quod in Græcis Latinisque interdum fluit lutulentum, è limpidâ Israelis scatebrâ diluendum esse juventutem admoneret. Sed & recentioris ævi gestorum monumenta, quam fuerint ipsi pervolutata, & interibi dum ista patrantur conquiri solita, omnes queis erudita ejus consuetudine frui contigit, sciunt & commeminerunt. Nec sanè de ullâ nostræ ætatis aut gente, aut regno, aut illustriori familiâ sermo incidebat, cujus ille non decora, errores, fata cum curâ animadvertisset, & ex vero docere posset, ea in his mixtâ cum gravitate utens modestiâ, ut nec de quibus non certò sibi & accuratè constaret, verba faceret, & multorum quæ de recentioris ævi rebus permoverat commemorandorum occasionem sæpe transmitteret, nunquam certè aucuparetur. At in sacra illa cùm veteris Synagogæ, tum Christianæ ecclesiæ, à primis incunabulis ad hanc usque senescentem & penè decrepitam ætatem historia, quam ex omni parte versatus fuerit C A L I X-TUS è scriptis ejus exploratius est, quam ut pluribus egeat confirmari. In hac sanè vel maximè eum præcel-

lere,

fere, ipsos quoque hostes ejus, illa omnium domitrix veritas coëgit agnoscere. Hanc ergo laudis Calixtinæ partem insigniter conspicuam, velut tabulam omnium applausu in memoriæ tempo altè dudum fixam, cum veneratione aspectâsse contenti, agite *Auditores* jam porrò quam & Orator gravis ac disertus ille fuerit, mecum recognoscite. Enimvero si, quod verè M. Tullius dixit, eloquentia nihil est aliud quam copiosè loquens sapientia, si quod Tullij Magister docuit, posse id quod vim persuadendi habet, promtè animadvertere, orandi scientiæ est, quam & hic eruditi ordinis gradus venerabili Collegæ nostro apprimè conveniat, quivis intelligens existimator facile agnoscet. Quàm enim ille de varijs & de sacris maximè rebus, sapienter, copiosè, & ornatè dixit! Quàm & in suis scriptis adornandis, & in retexendis alienis ea quibus vis confirmandi inest solerter advertit, ijs quæ hoc nucleo cassa sunt abjectis. Ordo autem, qui judicij dicentis index, ingenij audientis Lux esse solet, quam accommodatus ubique, & si pauca fortè quæ senio jam fatiscens, & animo distractior scripsit excipias, lucidus, passim, ac concinnus. Verborum delectum, quem originem eloquentiæ magnus Imperator dixit, eorumdemque nitorem jam supra in eo commendavimus. Atque hac scienter, peritè ornateque dicendi facultate, quà præcellebat, & scribendo, & variè eruditeque ex hoc ipso loco orando usus est præclarè, & primis quidem Professionis suæ annis adeò frequenter, ut mensem fere nunquam prætermitteret, quo non vel de sacro dogmate religionis, vel de arduo quodam loco divinarum scripturarum, vel de veteris ecclesiæ quodam motu extra prælectionum ordinem & sacris fere diebus habe-

ret luculentam, gravem, expolitam & Gregorij Nazianzeni, Basilij M. aliorumque sanctissimorum Oratorum concionibus comparandam orationem. Cum verò aut magnorum Principum aliorumve qui reip. clavum tenent animis salutares sententiæ seorsum inserendæ, aut noxiæ erant evellendæ, cum ecclesiæ Antistitum animi literis aut sermone docendi, tractandi, flectendi erant, cum in senatu nostro, de salute Academiæ, de Professorum cùm officio, tum stipendio, de moribus juventutis, de conservanda disciplina verba erant facienda, cum privato alloquio ad veram virtutem, solidam doctrinam sectandam, ad fugiendos seculi mores, ad charitatem Christianam, ad divini numinis religiosam venerationem, juvenum, senum, advenarum mentes, hortari opportunitas invitabat, quam erat oratio ejus gravis, benigna, dulcis, flexanima, &, quo penetrantius in dicendo nihil est, Christi Domini miti ac leni spiritu plena. Quam quidem veram ac salutarem dicendi rationem, sive ut Magni Alexandri doctor loqui amat, λόγων φιλοσοφίαν in beato viro agnoscere, colere, admirari & dum hoc ævi degimus, pari cura exercere nostra cum mortalibus omnibus Christiana necessitudo exposcit. Jam ab Oratore ad Philosophum CALIXTUM progrediamur, lubet enim in doctrinarum studijs Calixtinis commemorandis, eundem adhuc servare ordinem, quem in ijsdem addiscendis excolendisque priscos usurpasse ex Amphilochij Iconiensis ad Seleucum epistolâ, & erudito ejus interprete cognoscimus. Veteres enim à Poëtarum lectione ferè auspicabantur, ab his pergebant ad Historicos, ab historicis ad oratores, inde demum ad augustam illam divinarum humanarumque rerum scientiam Philosophiam,

Tradi-

Tradidit & huic penitius cognoſcendæ eò ſe ſtudioſius noſter C A L I X T U S, quo ardentius & ſuo ingenio, & præſtantium Doctorum monitu, & inſigni ad cœleſtem doctrinam aſſerendam uſu præcepto illuc ferebatur. Etenim inter ſapientiæ ſtudiorum mille elogia, unum illud priſci Eccleſiæ Doctoris maximè placebat & animo præcipuè obverſabatur, quo Philoſophiam loricam & ſepem eſſe dixit dominicæ vineæ. Cui celendæ cum totum ſe conſecraſſet, non potuit non hoc tam neceſſarium illius præſidium, maturè, conſtanter & omni animi impetu ſibi parare. Paravit autem ſibi illud celeriter, cum ingenium capax, peritus doctor, copia librorum, & otium liberale abundè ſuppeterent. Quibus accedebat illa omnium efficaciſſima diſcendi ratio, opportunitas nempe alios docendi, quâ tempore cumprimis, & quidem octodecim annorum adoleſcens feliciter uti cœpit, & per totam vitam uti perrexit. Inter Hebræos Doctores non nemo hoc de ſe verbum protulit. *Multa didici à Præceptoribus, plura ab æqualibus, omnium plurima à diſcipulis eorumque ſcrupulis & propoſitis dubitationibus.* Pari ratione cum ſuum quoque acre & diſcendi pertinax ingenium à primis annis exercuerit C A L I X-T U S, triplici illo ſubſidio uno eodemque tempore diu ſimul fruitus, mirum non eſt in perfectum evaſiſſe Philoſophum. Præſertim cum veri inveſtigandi, & à falſo diſcernendi certam illam normam, illam omnium controverſiarum arbitram, Logicam non tantùm à ſummo præceptore accuratè didicerit, ſed & voce ac ſcriptis alios præclarè docuerit. Quam & perpetua exercitatione ita ſibi reddiderat familiarem, ut cujuſquemodi rerum involucra objecta hac veri falſique regula promtè

& ce-

ge celeriter evolveret. Mathematicas porro scientias & ipsas inter primas comprehendit, post alios summum virum DUNCANUM LIDDELIUM, in his nactus Magistrum, cujus erudita voce ad penetralia hujus scientiæ ejusdemque præstantes scriptores deductus precium operæ fecit haut exiguum. Conspiciuntur in instructissima Bibliotheca Calixtina præstantium Mathematicorum volumina, quibus passim elegans viri manus sagacis ingenij vestigia impressit. Et memini eximium nostri temporis Mathematicum, ante annos haut adeò multós à CALIXTI colloquio ad me forte visentem seriò affirmasse, se cum Mathematicarum rerum in hoc viro vix tirocinium conjectarit, scientiam ipsam eamque minime vulgarem deprehendisse. Erat nimirum CALIXTUS similis Epaminondæ, de quo Spintharus Tarentinus Plutarcho auctore dicere est solitus: *In neminem suæ ætatis hominem se incidisse, qui & plura nosset, & pauciora loqueretur.* Cujusmodi Epaminondeum ingenium, audiendo quidem & discendo inexsaturabile, ceterum taciturnum & cautè se dans adloquendum, in hoc beato Collega nostro, quantum ad naturalem attinet Philosophiam pariter agnovimus, hujus enim nobilissimæ scientiæ humanâ curâ dignissimas partes cum omnes gnaviter excoluisset, iisque perdiscendis ad Medicorum artem, quem scopum aliquando respexit, se præclarè præparasset, quin & iisdem docendis annum hujus seculi undecimum tribuisset; nunquam tamen quidquam horum ambitiosè præ se tulit. Ubi verò aut ad sacrarum literarum intellectum, aut ad Christianæ fidei dogmatum explicationem, aut eorum quæ supra naturam divinitus sunt patrata demonstrationem Physicæ scientiæ subsi-

dium

dium erat advocandum, explicabat se fœcundum pectus, & quod cœlestis doctrinæ intellectum genuinum veritatemque illustraret, ex hujus quoque Philosophiæ adytis eruditè ac disertè depromebat. Porro quæ naturalis legis sunt, & ad virtutum, cum intellectualium tum moralium indolem atque munia declaranda pertinent, quo cum sancta disciplina cohærent arctius, eo sunt ab illo exculta perfectius. Cujus cum in scriptis ejus dictisque longè plurima ostendi vestigia possint, vel ea quæ adolescens de summo bono, de virtute, de justitia, & jam grandævus de morali Theologia universa perscripsit publicavitque justum perhibere possunt testimonium. Neque vero cum de populi Israëlitici, de Christianæ Ecclesiæ regimine, de regum ac Principum Christianorum officiis, & res suas tuendi optimis rationibus, de Tyrannide Orientalium, de civitatum cum ecclesiastico tum civili magistratu dicendum scribendumve erat, eorum quæ è civilis scientiæ penetralibus petenda sunt quidquam eum fugiebat. Quanquam vero in hac Calixtinæ Philosophiæ recensione ea brevitate, quæ multa transeat mihi est utendum, non est tamen prætermittenda commemoratio dominæ scientiarum Metaphysicæ, quæ quo altius adscendit & latius se diffundit, eo majore cura fuit pertractanda. Hausit eam à summo & forte primo in Germaniæ Academiis post renata optima studia scientiæ hujus doctore CORNELIO MARTINO, & fertiles agros imitatus multo plura protulit quam acceperat. Optarim sanè in manibus studiosorum cum reliqua illius Philosophica, tum disputationes ejus Metaphysicas esse, in quibus de excelsa isthac disciplina solide & perspicue philosophatur. Eadem deinceps in

S. Theologiæ arduis controversiis pertractandis vindicandisque tam scienter atque providè est usus, ut imperitiorum malorumque invidiam, doctorum admirationem ac elogia sibi conciliaverit. Dixi de Philosophiâ, & præcipuis ejus partibus, & dixi eodem ordine, quo discendas illas esse Thomas Aquinas, doctor minimè vulgaris, studiosum lectorem jam olim commonuit. Cum itaque beatum CALIXTUM Latinæ, Græcæ, Hebraicæ linguæ peritum, insignem Poëtam, præstantem Historicum, eximium Oratorem & perfectum Philosophum fuisse adhuc ostenderim, neque esse possit, qui de his quæ optima fide simplici illa veritatis oratione retuli, queat dubitare, existimate jam porro, *Auditores*, quam egregiè ille impleverit Hebræorum Magistri istud monitum: *Parate in vestibulo ut possis intrare conclave.* Etenim in Reginæ omnium disciplinarum, S. Theologiæ augustum illud conclave, in quod nonnulli temere interdum & parum in vestibulo parati, irrunt, ipse instructus egregiè & à Camœnis sororibus eo quem ostendi multiplici ornatu insignitus intravit, & inibi hunc cùm humaniorum literarum, tùm Philosophiæ cultum, ad divinioris scientiæ ornamenta atque præsidia magno S. Ecclesiæ & cœlestis veritatis bono traduxit. Neutiquam improvidè, nedum profanè, sed eâ cautione, qua optimus maximus Deus etiam gentilem feminam bello captam in conjugium ab Israelita duci concedebat. Ut enim hujusmodi profanæ mulieris priusquam in thalamum sancti conjugis illa deduceretur, caput radi, ungues præcidi, & vestimenta mutari oportebat, ita CALIXTUS vir tam religiosus, quam eruditus, S. Hieronymi, quin ipsius D. Apostoli exemplo externam illam sive secula-

rem

rem quam vocamus ſapientiam; ob membrorum pulchritudinem, & eloquij venuſtatem, de captiva fecit Iſraëlitidem, & quicquid in ea verè profanum ac Deo adverſum protuberabat, nempe quod idololatriam, voluptatem, errorem, libidinem ſapiebat, vel præcidere vel radere allaboravit, ut intemeratam & nativo ſuo decore nitentem Philoſophiam ad S. Theologiæ felix ac fœcundum connubium perduceret. Ita ergo auctus ornatuſque dici non poteſt, quam per hæc præſidia, expeditè, copiosè, ſapienter tractaverit ardua illa S. Theologiæ ſtudia, cujus omnium maximi ac præcipui ornamenti Calixtini juſto elogio, cum eloquentia mea par non ſit, faciam quod pictores ſolent, qui ingentem hominum turbam brevi tabula exhibituri multorum capitum ſolummodo vertices depingunt, ita ego huc delatus, tantum ſumma ſequar faſtigia rerum. In fidei itaque noſtræ Chriſtianæ capitibus omnibus ac ſingulis è vero ſuo principio validè ac perſpicuè deducendis, in morum Chriſtiano homine dignorum doctrinâ accuratè ad ſanctarum legum normam & ad internam conſcientiæ trutinam expendenda tradendaque, in divinarum ſcripturarum genuino ſenſu è fonte ipſo eruendo, confirmandoque, in antiquæ, mediæ, recentis Eccleſiæ ſententiis, decretis, ritibus, inſtitutis, turbis, turbarumque cauſis, ac adhibitis remedijs exponendis, in controverſiis quas vel priſca, vel talium, eheu! nimium feracia, noſtra ſecula excitarunt, dijudicandis, in his quæ ſub certo anathematis periculo credi ac propugnari oportet, ab ijs in quibus & humanum nec exitiale eſt errare, ſecernendis, & ut ſummatim dicam in univerſo illo ac latè patenti ſacrarum cœleſtiumque rerum campo prudenti conſilio,

 diſcer-

diserta oratione, eruditissimis scriptis, oraculi instar residere, & veluti regnare, hæc propria CALIXTI laus, hæc vera illius gloria est, de qua ex merito dicere cum tempore excludar, satius nunc quidem esse censeo summam hanc viri eruditionem facro quodam silentio vobiscum venerari. Ignoscite autem mihi quæso *Auditores benevoli*, quod ego, cui brevitas in dicendo semper adhuc placuit, præter morem diutius vos hic nunc detineam. Fecit id viri incomparabilis, mihi vobisque omnibus dulcis memoria per quam etiam vos rogo atque oro, ut postquam de excellenti doctrina ejus dicentem patienter audivistis, jam ad pauca illa quæ de viri pietate strictim attexemur, recolenda, vosmet excitare atque attentionem reficere velitis. Potest sane de venerabili CALIXTO verè dici quod de S. Ignatio aurei oris Orator Christianus affirmavit, *Multiplicem coronam gratiæ spiritus contexuit, qua sanctum illius caput redimivit.* Ego tamen de vitæ ejus sanctimonia eo nunc dicam brevius, quo illa Clmi Collegæ, quarto ab exsequiis die habita ex hoc loco oratione est laudata disertius. Ergo ut Epicorum Princeps, si quem Heroem carmine suo celebrare instituit, non vitæ cujusquam mimum omnem, sed certum & eximium quoddam, ut ita dicam, drama excerpere, & istius ad Ilium fortiter gesta, hujus in patriam errabundum reditum, illius in Italiam navigationem, alius memorabiliora decora quædam alia versibus suis canere solet, ita mihi hujus viri virtutum magnitudinem oratione minus assequi valenti, ad officium excusationemve satis erit, si de una caritate Christiana qua ille insigniter effulsit, pauca proferam, de illa inquam virtute quæ omnium Christianarum non tantum maxima sed & plerumque

rumque

rumque fœcunda mater, & ipsius quoque sanctæ fidei character est. Hoc cœlesti charismate perfusa mens illius sinceri & candidi amoris studia atque officia nunquam non in promtu habuit; Nemini adversus, erga omnes facilis, comis, benignus, tolerantissimus injuriarum, opis suæ largus collator, alienæ verecundus petitor, in dictis factisque quieti semper amans consilij. Hunc animum cum erga omnes gereret, in loco quoque ipsa re ostendere haut negligebat. Erga adolescentes eorumque errata lenis, æqualium nulli gravis, majorum superiorumque modestè reverens. Atque hoc Christi spiritu accenso amore erga universam per totum orbem sparsam Ecclesiam flagrabat, non tantum pro ejus conservatione, & incremento vota precesque quotidie fundens, sed & cumprimis pro pace illius & omnium fidelium unione, tam enixè tam omni animo ac cogitatione solicitus, ut ea caussa, vigilias, studia, labores maximos exantlaverit, livoris, invidiæ, calumniæ virulenta tela plurima exceperit, quin imo vita ac sanguine suo, si qua fieri posset, pacem Christianis conciliare fuerit paratus. Quandocunque itaque aliqua concordiæ sarciendæ spes, aut occasio, vel à Regibus ac Principibus, vel à pacificis ingenijs excitabatur, operam ille suam ore calamoque strenuè conferre, inter adversarios clamores, Christi Domini mandato niti, reluctantibus comiter rectam ostendere viam, desiderio autem suo, ob plurium pertinaciam defraudatus, dolere, gemere, lacrymari. Non habuit Servator majus amoris ergase, quod Petrum Apostolum posceret argumentum, quam si oves ille suas pasceret. Circumtulit beatus CALIXTUS oculus animumque per Domini gregem universum latè palantem, mutuis

odijs ad ferrum & flammam usque distractum sævientemque. Qui igitur erga Dominum Servatorem amorem suum testari certius potuit, quam cum ipsius Domini voce compescere hæc funesta dissidia & animos per Christi vulnera ad cœlum adspirantes, ad mutuum amorem reducere est enixus. Huic Christianæ charitatis necessario studio quoad valuit, insudavit, huic corporis viribus defectus ad extremum usque spiritum ingemuit. Quid præmij pro sancta opera à pervicacibus nonnullis tulerit, est in aprico. Sed bonum factum quod CALIXTUM cujus & summam eruditionem & pietatem singularem aliquo modo delineavi, boni omnes ac prudentes venerantur, Reges ac Principes æstimant, & Deus optimus Maximus cujus servitio se totum consecraverat, & in hac vita dulci tranquillitate animi pensavit, & in altera æterna illa ac beata immortalitate remuneratur.

Ceterum haut parum mihi gratulor, quod de tanti viri doctrina ac virtute publicè dicendi opportunitas mihi fuit oblata hoc tam celebri die, in quo omnium maximè Vestra, *Illustres Legati*, & *Ordinum Provincialium delecti Proceres*, delector præsentia, prorsum persuasus, hujus tam amici vobis, dum vixit viri elogio, vestro pro Acad. salute his diebus labori exantlato, colophonem imponi & veluti acclamari, gratum vobis esse acceptumque. Et quandoquidem divini Numinis Clementia, Vestris pro Lycei hujus conservatione susceptis negotijs tam benignè adspiravit, ut unanimi atque laudabili vestro connixu in publicum patriæ, Ecclesiæ atque reip. bonum omnia rite hodie sint peracta & ad exitum perducta, ego hac voce publica optimo maximo Deo,

omnium